AD CARDINALITIAM QVÆSTIO MEDICA;

MATVTINIS EXCVTIENDA DISPVTATIONIBVS, IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XIIII. MARTII, M. ROBERTO LE SECQ DOCTORE MEDICO, MODERATORE SAPIENTISSIMO.

Est-ne cor subiectum Febris?



ORPVS humanum mundi miraculum, summi opificis extremo consilio opus accumulatum, & vndiquaque perfectum, vniuersi compendium, in se totius μεγαλοκόσμου, virtutes & energias continens constat multis partibus ἴσχουσι, ἐχομένοις καὶ ὁρμῶσι. Continentibus tam partibus solidis & spermaticis vt ossibus (ad quæ epiphyses reduco) cartilaginibus, ligamentis, tendonibus, neruis, venis arterijs, membranis; & carnosis multiplicis generis, tam musculosis omni generi fibrarum implicitis, quàm pura carne, quæ rara est in corpore humano: & si quæ sit, in balano siue pudendi extremitate, ac gingiuis reperitur. Contentis quadruplici humorum congerie conflatâ massâ sanguineâ, bile, pituitâ, melancholiâ & sanguine, humoribus, omnibus dicatis alimoniæ ergo toti corpori, vel singulis eius partibus. Impetum facientibus, spiritibus tum naturalibus distribuendo nutrimento, quasi præuijs ductoribus, accretionemque caloris insiti afferentibus & quod residuum est, κατ᾽ δύναμιν ἐγκριτικὴν expellendis superfluis. Vitalibus à corde per arterias tanquam per canales, rorem viuificum, vt purissimum alimentum, innati caloris refocillatorem inuehentibus. Animalibus in ventriculo medio cerebri efformatis, triplici actioni principi, motui, & sensui deseruientibus.



VM ea sit conditio sublunarium omnium, vt quorum fuerit ortus eorumdem aliquando per præuias corruptiuas alterationes, morbos dico, tam similares quàm organicos & cōmunes, tanquã per gradus, debeat esse interitus, fit vt tam partes solidæ corporis humani, quàm humores & spiritus, singulis diebus, vel in tota substantia corrumpantur per φθορὰν, vel per appulsum causarũ externarũ, mutentur, tam in primis quàm in secundis qualitatibus, hinc febres (calore præter naturam co occupante) intermittentes si vnicus humor alteretur & corrumpatur. Nam bilis nutritia in minoribus vasis corrupta, febrem tertianam simplicem accersit, humor in ventriculo, & venis mæsaraicis alteratus & quoddã corruptionis gradus adeptus, tantũ caloris accidentarij, siue præternaturalis pituitosus acquirit, vt quotidianam simplicẽ cõmittat: similiter melancholicus humor in primis venis considens, si acoris & azymi putredinalis aliquid concipiat, quartanam intermittentem simplicem excitat. Quod si bilis multa per magnas venas diffusa, ad ventriculum cordis dextrum pertingens corrumpatur, continuam tertianam, quæ facili negotio ἀναθυμίασιν febrilem ad membranas cerebri effert, καῦσον φρενίτιδος non expertem commouebit. Sin pituitósus humor (qui plurimus per omnes venas maiores dispergitur) acescat, magnumque σηπεδόνος nidorem, vitæ principi communicet, quotidianam continuam generabit, idem melancholico humori si contingat, generabitur quartana continua, quod si sanguis corrumpatur, synochus fiet.



VO quid tenuioris est substantiæ, eò citioris & promptioris est corruptionis si deciscat à natura: hinc fit vt spiritus corporis humani, characterẽ suũ facile amittant, cum abolitione δυνάμεως cui famulatur: etenim scaturigine vitalitatis enectâ, spiritus vitalis cum syncope extinctio sequitur, vt fit per attractionem aëris pestiferi, auræque venenatæ, eodem nimiùm calefacto ephemera febris gignitur. Spiritu animali deorsum vorsumque lato, vertigo fit, eodẽ spiritu in charactere læso, per ventriculos cerebri anteriores disperso, fit deprauata imaginatio, vt per ventriculum medium rationis læsio, vt in mania & in phrenitide, per cerebellũ effuso, vel imminutio, vel deprauatio, vel memoriæ abolitio. Eodem naturali spiritu, per læsionem ipsius hepatis offenso, fit hydrops extincto naturali foco. Nec minus spiritus cordi innatus læditur, vt pote qui præcalefactus, vltra diem naturalem, primum hectices gradum accersit, qui nisi beneficio naturæ, vel medici retro pedem ferat iure viciniæ partes cordis molles inflammat, calorisque habitum facile ei imprimit, sicque hecticæ febris secundum gradum, introducit; metusque est ne fibras tam transuersas quàm longas & obliquas cordis tertio gradu hectices obsignet.



VI perfectissimè à medico cognoscitur morbus, is si natura sua sit curabilis, omni remediorum machina erit propulsandus: verum cum medicinæ cognitio sit abstrusa, & vt in re herbaria ῥιζοτόμος vix serpyllum ab origano, lactucam à cichorio, in principio earum ortus discernere potest, idem medico etiã excercitatissimo, non facile erit speciem febris dignoscere. Etenim febris ephemera ab ardore solis orta, vel à crapula, exercitatione nimia, ira, venere immodica cognoscitur, vel ex relatione ægri, frequentiore pulsu, sed tamen æquali, suaui, cum aucta respiratione, cum vrinis laudabilibus, sed quæ intra viginti quatuor horas cesset, vel si adsit virus pestiferum, intra idem spatium iugulet, vel ephemera humorum, ex seminio spiritus, inquinatorũ corruptela, desciscet in nouã febrẽ, tuncque pro conditione humoris excalfacti, si contingat cum sensu vlceroso, calor acer, biliosus vomitus, iuueni cholerico, sudor, perseuerantia febris infra duodecim horas, vrinæ ægri ruffæ, exacerbatio febris circa meridiem, dicetur tertiana exquisita, quę nostris regionibus rara est, in quibus fit tertiana notha. Si febris incipiat cum sensu inæqualitatis sub vesperam, tempore hyberno, phlegmatico, cum vrinis crudis, vomitu pituitoso paroxismos habens viginti quatuor horarũ, pulsus debiles, fit amphimerina. Quod si febris fiat autumno, declinante ęgri ętate, cui facies sit subliuida, hyppochondrium sinistrũ durum, vrinæ in principio morbi tenues, fiet quartana febris; quę vix bis hominẽ corripit, vixq. remedijs cedit per duodecim annos ægrũ sępe cõflictans.



EBRIS continua vt caret intermissione, sic & securitate, intra decimum quartum diem sæpe iugulans, nisi degeneret in hecticã. Quò plus humoris biliosi est in febrili corpore, eò celerius auxiliares manus medici efflagitat euacuationem per catharsim & phlebotomiam, multoties pro vehementia febris & ęgri viribus repetitam. Causos & synochus ad λειποθυμίαν venæ sectionem admittunt. Quotidiana & quartana tam intermittentes quàm continuę, pro ratione cacochymiæ, catharsim magis quàm phlebotomiam expetunt; illa per phlegmagoga, hæc per melanagoga, vtraque hydropisim sui sequacem vt plurimum habet, cui vsus theriaces prodest. Hectica incipiens non facile cognoscitur, cõfirmata remedijs nõ expugnatur: victus humidus febricitantibus omnibus cõmodus, maximè hecticę, vnde balneũ aquę egelidę fumo carentis vel hydrelęi erit ex vsu, aër fiet arte humidus & frigidus, in domo subterranea, ad septentrionẽ spectante, aspersa aqua, transfusa fonticulis, sparsis rosis, capreolis, summitatibus ruborum & alijs virentibus: hectici thoraci circa cor, ceratum ex cera & rosaceo cum oxycrato imponetur, ei labor nocet, somnus est conciliandus iulepis ex aqua lactucę, cichorij, syrupo nenupharino, diacodio, lac muliebre conuenit, vel eius loco lac asininum, quod cæteris frigidius & humidius ac tenuius, citius pertransiens, minus acescens in ventriculo. In cęna, iura ex volatilibus, pisces saxatiles, oua cum lacte incocta, lactuca cum iure, intubus, acetosa, melopepones, cerasa, pruna, caseus mollis non salitus, cancri, testudines, coclee in lacte coctę, cremor ptisanę.

Ergo cor, est subiectum febris.

Propugnabat Lutetiæ, Ægidius Leblanc Parisinus, anno à Christo nato. 1613.